quinque milia florenorum auri ad expensas. Sed idem prepositus tam pio proposito
et laudabili dicti venerabilis pontificis testamento minime satisfaciens, accepta
dicti domini sui pecunia et ad instar inutilis servi in terra defossa, nedum
apud curiam romanam pro regimine ecclesie non laboravit immo facta
electione cum nonnullis de parte sua canonicis ecclesie de persona minus idonea
sed per summum pontificem postmodum cassata, ipsam ecclesiam posuit in
a) Luss 1. 73 errore. Taliter igitur dicto domino Wilhelmo defuncto, ipse reliquit ecclesiam
coloniensem absque debitis locupletem et divitiis plurimis habundantem;
castra quoque et fortalicia ecclesie vino et frumento et necessariis, ita
ut eorum promptuaria eructuarent ex hoc in illud undique communita. Qualiter vero tantarum diviciarum copia, quas pro futuro
statu ecclesie idem archiepiscopus thesaurizaverat, nesciens utique
cui easdem congregasset, post eius obitum fuerit dissipata, longa
17 frequens ecclesie vatticinacio et diu sub incerto vacillans eiusdem
provisio lucide manifestat. Et quod dictus archiepiscopus disposuerat ad bonum ecclesie, totum postea cessit ad ecclesie nocumentum. Nam famosae ipsius divicie insaciabilem avariciam romane
curie ad modum voraginis semper pecunias sicientem irritaverunt, et eidem
occasionem prestiterunt ad asportandum omnia, prout ex sequentibus
apparebit. Quamvis autem idem archiepiscopus ecclesiam, sicut supraditum
est, reliquit absque debitis et fiscum ecclesie locupletem dimisit;
111 tamen patriam et subditos ecclesie plurimum inopes et destitutos propter
exactiones frequentes, quibus avide intendebat in ipsos. Sepultus est itaque
in ecclesia sancti Petri infra chorum ecclesie, in excelsa tumba, quam
ipse sibi fabricari fecerat adhuc vivens de albo et nigro marmore sculpto
plurimum artificiose. Fecerat quoque idem consimilem tumbam super sepulturam domini Walrami predecessoris sui non minus speciosam.

Tempus vacacionis ecclesie coloniensis.

74. ~~58~~. Postobitum igitur prefati domini Wilhelmi Coloniensis archiepiscopi per decem circiter menses et legitimo carente
[vacante dicta ecclesia Coloniensi administratore, incepit ipsa ecclesia sub adversitate temporis
fortiter laborare. Nam post obitum dicti pii pontificis paucis
elapsis diebus, capitulum coloniensis ecclesie procedens ad
electionem, quamvis ipsi scirent ex verisimilibus causis propter
reservationem sedis apostolice electionem liberam sibi interdictam, elegerunt in archiepiscopum nobilem virum Johannem de Virneburgh maiorem decanum, ad electionem quidem
suam ambicione manifesta valide aspirantem, eundem electum
tumultuosa laicorum potius acclamacione, quam canonica